

Liber II

Omelia XVI

locuta est. Archa enim que trecentis cubitis fieri in longitudine iussa est: sexaginta vero latitudine: triginta autem in altitudine: in vno est cubito consummata. Quid enim per archam nisi sancta ecclesia figuratur. que inferius ampla est: superius angusta? Que a trecentis et sexaginta ac triginta cubitis ad vnum cubitum colligitur: quia latitudinem quam sancta ecclesia in membris suis adhuc infirmitatibus habet: paulisper angustata et in altum proficiens ad vnum tendit. Ipsi enim ratio exigit ut credamus quod in illa archae latitudine omnes bestie: cuncta quadrupedia atque reptilia in inferioribus fuerunt. Homo vero atque volatilia nimirum in superioribus. Iuxta superioris etiam parte fenestra fuit in lateribus de qua coruuum vel columba dimisit homo: ut si iam diluuij transisset aqua cognosceret. Et quia archa eadem in vno fuit cubito consummata: homo et volatilia iuxta cubitum fuerunt. Recte itaque per archam vniuersa ecclesia designatur: que adhuc in multis suis carnalibus lata est: in paucis spiritalibus angusta. Et quia vnum hominem qui est sine peccato colligitur: quasi in vno cubito consumatur. Videmus etiam multos intra eiusdem sancte ecclesie sinum in superbia eriguntur: in carnis voluptate dissolui: ac quod terrenis rebus inhiare: impetrare auaricia mare transire: deseruire iracundie: iurgijs vacare: proximos quos preualent ledere. Sed quia eos adhuc sancta ecclesia tolerat ut conuertatur: quasi in archae latitudine deorsum bestie morantur. Videmus alios iam aliena non querere: illatas iniurias equanimiter portare: rebus proprijs esse contentos: humiliter viuere. Sed quia isti iam pauci sunt angustatur archa. Alios autem conspiciamus etiam possessa relinquere: nullum terrenis rebus studium dare: inimicos diligere: carnem a cunctis voluptatibus domare: motus omnes sub rationis iudicio premere: per celestem desiderium contemplationis pennas subleuare. Sed quia tales quique valde rari sunt: in archa iuxta cubitum ducuntur ubi homines et volatilia continentur. Queratur tamen si quis in eis esse valeat sine peccato: et nullus in

uenit? Quis itaque homo sine peccato est nisi ille qui in peccato natus non est? In vno ergo cubito consumatur archa: quia vnum est auctor et redemptor sancte ecclesie sine peccato: ad quem omnes proficiunt qui se esse peccatores nouerunt. Dicatur itaque de latitudine et porta. Et cubitus vnus finis vtriusque. Quia cum vnus mediator dei et hominum ipse Iesus in maiestate sua apparuerit: omnia vtriusque testamenti que predicta et promissa sunt compleuit. Sin vero vtraque hoc loco marginem ac thalamos memorat: neque hoc ab hac sententia abhorret: quia cum maiestas redemptoris nostri fuerit ostensa finis fides: cum iam ceperit videre homo quod credidit. Et ad finem suum peruenit thalami: quia corda fidelium incomparabiliter longe quam modo sunt in amore illius perficiunt. Cubitus ergo finis vtriusque est: quia vnus domini et saluatoris visio in electis suis fidem finit: et charitatem perficit. Considerare libet: qui nos sumus qui ista tractamus. Certe ex gentibus venimus: certe parentes nostri lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Unde ergo hoc nobis: ut (ea quoque que nunc vsque hebrei nesciunt) ezechielis prophete tam profunda mysteria rimemur? Agamus ergo gratias toto desiderio vnus: qui cuncta que de eo in sacro eloquio scripta sunt opere impleuit: ut que intelligi audita non poterant: visum panderent. Ibi quippe incarnatio: ibi passio: ibi mors: ibi resurrectio: ibi ascensio illius continetur. Sed quis nostrum hec audita crederet: nisi facta cognouisset? Si gnatum ergo librum sicut in iohannis apocalypsi legitur: quem aperire et legere nemo poterat: leo de tribu iuda aperuit. Apocal. 5. quia omnia eius nobis mysteria in sua passione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostre mala pertulit: sue nobis potentie et claritatis bona monstrauit. Caro enim factus est ut nos spirituales faceret: benigne inclinatus est ut leuaret: erigit ut introduceret: visibilis apparuit ut invisibilia monstraret: flagella pertulit ut sanaret: opprobria et irrisiones sustinuit: ut